

LECTORI

S. P.

H. BOERHAAVE.



POSTQUAM elapso pridem anno me Rei Herbariæ præfecissent Proceres, inprimis id negotii datum tunc mihi credidi, ut discipulis meis, in arte difficili ad-
discendâ, laborem levare ope summâ sedulô anniterer.

Quod certô quidem Illis efficere vix speravi melius, quam si curarem excudendum typis Indicem plantarum, quas anniversarius sermo, Academico in horto crescentes explicando, indicat.

Princeps igitur hæc ratio fuit, quæ me ad edendum præsens impulit opusculum.

Neque tamen alia præter hanc causa defuit, quæ id ipsum obnixê efflagitaret; instructissimè nempe paradisi hujus supellex quam ditissima.

Abundantissimam enim copiam Herbarum sufficere qui posses? dum caducæ plurimæ quotannis intereunt; nisi liberali commercio

LECTORI.

supplementa conscribere liceret apud Alios.

Eos verò quonam, quæso, pacto in nostra trahemus commoda, nisi & pariter intellexerint, quænam ea sint, quæ suppeditare ipsi possimus, ad farcienda quoque ea, quæ forte damna passi sunt.

Necessarium adeò opus uno duntaxat modo potest perfici: si nempe editus catalogus docuerit, quibus egeamus, quibus abundemus.

Enimverò mutuis tum officiis, sine magno labore, acquiritur, quæ absque hoc auxilio compararetur difficillimè, perennis & stabilis copiarum felicitas.

Sciant ergò Omnes, Quorum id nosse interest, quotannis operam hîc dari eam, quâ tempestivè legantur matura semina omnium plantarum, quæ eo forte anno in solo nostri horti ea perfecerunt.

Curâ deinde sedulâ pertractata asservantur eadem, ut dari queant liberaliter petentibus Illis, Qui vicissim aliis, quibus caremus ipsi, nos beare poterunt.

Est igitur quod sperem, Cultores pariter & Studiosos Artis, utrosque reperturos aliquid, quod laudent, ex hoc libello commodi.

Quod

LECTORI.

Quod ipsum tamen emolumentum augeri forte potuisset, si mutata haberetur paululum ordinis, quo confitus jam cernitur hortus, ratio.

Quum nimirum discendæ, atque retinendæ, huic disciplinæ unum modò adjuvamentum sit, ea nempe facilitas, quæ, numerosis herbis in paucas classes ritè digestis, unicè exoritur, sequitur certissimè, eam censendam optimam, quæ deprehenditur simplicissima, syntaxim.

Recolenti verò modos perquam varios, quibus simplicitatem hanc invenire conati sunt Auctores Illustrissimi, Cæsalpinus, Columna, Morifonus, Rajus, Hermannus, Rivinus, Hottonus, & Alii, constat tandem Tournefortii Systema habendum simplicissimum.

Illud, inquam, quod sapientissimè excogitavit, incepit audacissimè, labore dein stupendo perfecit, atque incredibili postremò successu consummavit, Vir præ omni Alio, in arte facilè Princeps.

Si ego itaque legi obsequerer syntagmatis, noster ad Institutiones Tournefortianas casti-

LECTORI.

gatus nunc conspiceretur Index; qui vel jam quoque plurimum, quod habet boni & digesti, Maximi Viri laboribus acceptum fert.

Sed calamitosa strages, quam atrocitas fævissimæ hyemis nuperrimæ in fundo exercuerat, prohibuit movere suis sedibus languentes, & vix vivaces, herbulas. Habet tamen & ipse hic ordo id profectô utilis, quo prioris boni absentiam compenset, dum optimi scilicet cujusque ordinis quædam exhibet specimina.

Unde unam hanc edocto viam sponte patient cæteræ, quibus usi Alii, rationes operum.

Quod equidem doctrinæ Studiosis haud penitus inutile Bonus quisque asseret.

Namque primus accurati ordinis in horto hocce Conditor Paulus Herman, Vir nostrâ in Arte nemini secundus, dum Morisonianæ insistit viæ, simul tum quam maximè Cæsalpinum sequitur.

Petrus deinde Hotton, politissimæ eruditionis, & scientiæ herbarum, gloriâ eximius, pronior erat in amplexum Ordinis ejus, quem Rajus excoluerat; unde hujus dogmata admi-

mi-

LECTORI.

miscuit ita, ut plurima Hermanniana retine-
rit, utraque verò, quod fatemur candidè,
per Tournefortiana expolivit maxime! En
veras causas, & bona, hujus ordinis.

Ne tamen intelligentia Studiosorum care-
ret notione perfectissimi, curavi ad Systema
Tournefortii, seorsum solo inferendas plan-
tas singulas ex singulis Ei descriptis generi-
bus: Unde uno oculo, quod hercle est pul-
cherrimum, in paucis areolis habetur operis
immediati conspectus & compendium.

Interim verò, dum opus præli fervet, re-
centes plurimæ sunt Nobis plantæ redditæ,
quas ut suis adscribere possent classibus, spa-
tia in chartis his inter genera quæque locu-
pletanda pura relicta sunt. Absolverem Te,
Mi Lector, sed prius unum impetrem! Oro
nempe, ut errores, quos in re ipsâ offenderis,
commisos, præcipiti meæ festinationi im-
putes.

Quum enim pluribus distraherer negotiis,
quam lege modestiæ mihi fas est dicere; si-
mulque æstas propinqua urgeret opus maxi-
mè; hinc inde irrepsisse jam exterior ali-
quot.

Sed

LECTORI.

Sed nullam in legem plus mea peccavit scriptura, ut jam video, quam quidem in eam, quâ me obstrinxeram ad adscribendam plantis annuæ vel biennis durationis notulam.

Quare illud vitii corrigere in ipsis memor ero prælectionibus, quum subnectere operi foret nimis arduum.

Typographica multa non reperiens. Cujus certê puritatis gratia debetur Viro Eruditissimo, *D. Job. Mich. Buttrer*, omnis humanæ Scientiæ, & maximê Botanices, peritiâ singulari spectatissimo, Ille enim generoso affectu hoc onere me levare voluit quam humanissimê: quum ad talem operam pauci sint idonei. Vale! Lugd. Bat. 17 $\frac{6}{2}$ 10.

PRÆ-